

Letter 597: 7 March 1536, Constance, Johannes Zwick to Capito and Martin Bucer

The autograph original of this letter is no longer extant. The translation is of the transcript in TB 9:35–6.

Clarissimis viris D.D. Wolfgango Capitoni et Martino Bucero praeceptoribus meis reverendis fratribusque in Domino etiam secius, salus et pax Iesu Christi. Quod colloquium Basiliense feliciter cessit, viri optimi omniumque charissimi, Christo bonorum omnium authore gratias ago. Is scit quam ipsius gloriam sitiam et quicquid ad hanc promovendam commodum esse potest. Subirascimini vero mihi, quod non ipse comparuerim meamque absentiam etiam interpretamini quasi colloquia sanctorum fugiam, piisque congregationibus parum christianice obstrepe[re]m. Ceterum non sum hoc animo, vosque mihi innocenti irascimini. Nam, o Deus, quam optassem non solum vos coram videre, sed ipsam quoque Basileam, quae mihi certe altera patria est, in qua post bene longe in carnis libertatem, captivum me deprehendit Dominus; et quid ante aeterna secula de me boni statuit illius misericordia, hoc primum mihi Basileae palam factum est. Ne quid dicam, quam optassem multos ex pristinis amicis convenire. Quod si vero aliud nihil, tamen discendi aviditas et doctissimos quos vix audiendi studium ad hanc profectionem me traxisset. Quid autem facias ubi fortuna nihil tuis votis responddere? Non privatas ad me, sed communes ad fratres litteras scripsere Basilienses, deinde a magistratu quoque petierunt legatum mitti. Hinc expectandum certe fuit mihi ne an alteri ex fratribus haec legatio imponeretur, maxime vero nobis ex ministris expectanda fuit magistratus nostri sententia et quid ille a nobis vellet fieri. Iubente igitur illo, ut maneremus domi, non licuit nobis invito illo quicquam tentare, quem admodum, nec mihi invitis fratribus licuisset. Cum ergo neque magistratus, neque fratrum nomine passus sim abire, nullaque sors mihi tam bene voluerit, nullo pacto decuit mea autoritate parere abutum. In non paucas enim de me suspensiones incidissent, et fratres et magistratus. Quod si iniussus, meoque tantum nomine me Basileam contulisset, nemo tamen hoc ita recepisset, nisi publica protestatione istud cavissem. Quam vero fuisset hoc indecorum arrogantiae specimen, scilicet assidere in conventu legatum a nostris amandatum, cui vero assidere sine meorum autoritate. Quis non summo vitio vertisset talem praesentiam? Itaque non solum ecclesiae meae, sed nominis quoque mei rationem habere oportuit, ut a tam inhonestae rei exemplo omnino abstinere. Praeterea nuntius vester tardus veniebat ad vocandum, scilicet cum iam biduo legatus urbis nostrae abiisset, meque peius habentem invenit. Toto enim hoc tempore cum mala valetudine et medicis res mihi fuit, ut omnino non potuerim ecclesiasticum officium interim facere, ne dicam peragere proficisci.

Interim non eo inficias, observande Capito, quam fidem aliquando tibi sim pollicitus, ut scilicet discipulus sequeretur praeceptorem, tamen non minus ecclesiae meae servanda est fides, cui quoniam non solus, sed cum multis praesum. Certe non possem in communem negotio quicquam dicere aut facere mea sita autoritate sine insigni audaciae et inverecundiae nota. An vero sanctissimi viri non semper optima fide praestiti, quicquid potui? Annis praeteritis (ni fallor) tribus cum diceretur fratres Helvetias Tiguri congregatos, ut nescio quid contra concordiae et sacramenti causam tractarent, statim contuli me Tigurum, cumque congregationem non invenirem, Tigurinibus tamen rem omnem optima fide exponebam, ut nihil desyderarent amplius, deinde etiam vobis itineris mei rationem et quid effecissem per epistolam testabar, vosque meam fidem et diligentiam insigniter commendastis.

Nunc quoque, dilectissimi praeceptores et fratres, quid obsecro neglexi quod voluistis et a me potuit fieri? Petistis ut continerem Tigurinos in officio, hoc est, ne ederent intempestivam

apologiam, deinde ne colloquium detractarent. Promisi vobis his me pro viribus curaturum; nihil neglexi. Scripsi illis quam potui diligentissime (nam docte non possum, quemadmodum scitis). Hortatus sum illos hoc ordine, quantum memini ut abstineant ab apologiis, ut caveant a fratrum fastidio, ut temperent ab odiosis epistolis, ut parati sint ad colloquendum in colloquio, ne sint austeri, ne suspecta sic reficiant, ne interim quoque syncera condemnent, etc.

Deinde cum audirem congregationem fratrum Helveticorum Basileae institui, hortatus sum Tigurinos ne illo pacto vos praetererent. Hoc primum certis rationibus negant, ego vero contrariis rationibus iterum atque iterum exhortor et urgeo, donec vinco. Quominus vero solitudinis negligere, etiam Basiliensibus fratribus anxie scripsi, multis atque iterum multis obsecrans, vobis ut diem conventus dicant. Tam et a Tigurinis et Basiliensibus impetravi quod volui, ut non dubitarem vos, me authore Basileam vocatos. Et his diebus ad me scribens Bullingerus multas gratias agit quod non desierim hanc vestri vocationem apud ipsos urgere. Exaudivit vero Dominus cordis mei anxietatem qui scit quam timuerim, ne forte negligere mini. Tandem sanctissimi viri, cum nuper a me duo scire volueritis, ad quae tamen non petui meo privato nomine respondere, hortatus sum fratres, cum quibus ecclesiae negotia mihi sunt communia, illi vobis ut satisfacerent et indicarent qua mente et quo animo iusserint me ipsorum nomine in conventu respondere. Iam hoc quoque impetravi, atque ita, ut credam vos nihil porro a nobis desideraturos. Quemadmodum enim apologiam confessioni coniunctam semel approbavimus, tanquam verbo Dei consonam, sic eam etiam hodie approbamus et vellemus hanc a vobis semper magis urgeri quam aliud quidvis; partim quod per hanc dudum satisfactum sit Lutheri et Electori principi, partim ne multis et subinde novis quotidie approbationibus opus esset. Et certe, ut libere dicam, iaceretis vos minus in hoc negotio suspectos quam si quosvis ad approbandum vestra urgere semper conemini, quae utcunque multis laudata sint et laudentur. Tamen non est nomini vestro profuturum, si vos has laudes semper veluti jure quadam extorqueatis. Date veniam, obsecro, discipulo libere admodum cum senioribus et praeceptoribus loquendi. De profectione ad synodum ipsi vos iudices este: invitone magistratu liceat in communi causa pedem movere? Quod si putatis illos omnino in nostra manu esse, si vellemus, erratis toto coelo. Urgemus nonnunquam, sed ita ne videamur dominatores, cumque intelligimus illos, ad rem non propensos, facile cessamus, ne quia importunitate Christi et ecclesiae negotio in gravioribus forte noceamus. Quanquam hoc loco orandus Dominus, quemadmodum cavendum, ne nos illos intempestivis conatibus adeoque nostra forsitan culpa iritemus, ita ne ipsi quoque nostra modestia et observantia aliquando abutantur.

Nunc utrosque vos charissimos meos et patres, praeceptores et fratres obsecro, ne inobedientiae meae succenseatis, existimantes quasi colloquiis fratrum male velim. Hoc enim quo Dei spirita possem? De synodis, ut nunc vocant, et conciliis, non per omnia bene sentio, at de piorum fratrum colloquiis inter sese, aut erga veritatis hostes sentio christianice, atque ita ut doleam me in illis nihil praeter auditorem agere posse. Quanquam sint quaedam, quibus fratrum colloquia vitiantur; ea si in colloquiis superant, praestiterit non colloqui. Christum autem nostros animos, qui suo loco, suis praestamus, magis atque magis idoneos faciat ad ecclesiasticam functionem. Hunc invoke pro me, ne quid negligam quod ad illius gloriam pertinet, identidem ego quoque pro vobis faciam. Maxime ut quicquid instituitis pro ecclesiae incremento, omnibus bono sit, et in nomine Christi tam cedat feliciter quam praeter illius sanctificationem in animis vestris nihil quaeritis. Valet in Christo Jesu, et persuasum habete, me tenacissimum esse vestrae erga me amicitiae cultorem, neque me quicquam desiderare a vobis anxius quam ne desinat me amare et commendare Domino. Iterum valet. Constantiae 7 Martii 1536. Quam plurimam salutem iusserunt vobis adscribere Thomas et Cunradus.

Vester totus in Domino,
Ioh. Zwick.